



Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús María>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XVI. Ostendit, triste esse, peccato seruire.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

& exultent, & verè glorientur soli re-
cti corde. Hanc ergo prudentiam disci-
te filij, nequè humanis confiliis acqui-
escere velitis. Tollite iugum meum
suauissimum super vos; & sub hoc, pa-
cem intimam pertingentem usque ad
medullas apprehendite. Letamini vos,
qui prudenti coniectura colligitis, no-
mina vestra scripta esse in libro vite.
Aperite sinūs viscerum vestrorum, &
cælestis consolationis aquam sitienter
haurite. Fleant illi, qui remorsu con-
scientiæ cruciantur, & per latam viam
perditionis furiosè currunt. Ridete,
& exultate vos, qui mihi seruire decre-
uistis; vos præsertim, qui reliquistis
omnia, & sequuti estis me: quia in hac
vita, ceterum accipietis, & cum glo-
riosissimo triumpho, & totius super-
næ Ierusalem acclamacione, vitam æ-
ternam possidebitis.

C A P. XVI.

Ostendit, triste esse, peccato seruire.

NON est pax, & cordis lætitia im-
piis, qui faciunt peccatum, &
proinde serui sunt peccati. Mæstissima
est fi-

est, filij charissimi seruitus hæc, quam homines magno pretio emere solent. Sollicitè quærunt gaudia, nec inueniunt: quale enim gaudium accidere possit ijs, qui in umbra mortis sedent, & lumen Cæli non vident? Excæcauit illos malitia eorum, datique sunt in reprobum sensum: atquè ita cæci, & insani, per varia desideria, quasi arietes non inuenientes pascua, discurrunt. Sensus eorum, tanquam paruuli rationis expertes, ducti sunt in captiuitatem, antè faciem dæmonis tribulantis: & ideo, ut captiui per eadem, per quæ peccant, puniuntur, stimulos conscientiæ iam ibi sentientes, & cruciatum æternum præsentientes. Væ illis, qui rebelles fuerunt lumini, & disciplinâ vitæ non receperunt. Attendite filij, quæ moneo. An putatis horrendum non esse, peccatorem hominem dum peccat mortaliter, certò scire, si in eo statu moriatur, vt faeilè potest, se igne sempiterno torquendum esse? commedit, & bibit, & iocatur, quantum potest: sed parum potest, quia est post commissum peccatum, & in ipsis gaudiis il-

diis illicitis, dum peccat, ego immitto
illi terrores conscientiae, ut iustus ap-
paream in sermonibus meis, & vincam
cum iudicauero. Infelices homines,
quasi tumentes super se fluctus timent
iram Dei, quem oderunt: & pondus e-
ius ferre non possunt. Propter quod,
velint nolint, ipsis operibus suis osten-
dunt se odisse lucem, & timore seruili
perterritos a facie mea fugere, ac ti-
mere, sicut Cain, ne omnis qui inue-
nerit illos, occidat eos. Ad omnem
strepitum suspicantur se iam ad iudi-
cium vocari, & sibi videntur, terribi-
lem tubam audire. Mihi credite filij,
omnes labores iustorum, omnes eo-
rum persecutio[n]es, ac t[em]ptationes, ma-
gna solatia sunt, si cum durissima pec-
cati seruitute comparentur. Fugite ser-
uitutem hanc, & vt ipsas inferni por-
tas perhorrescite. Aspirate ad nobilis-
simam libertatem meam, vitæ meæ
pretio partam: neque periculo tanto
animas vestras, quas redemi, insipien-
ter committatis. Viriliter agite, &
confortetur cor vestrum, sustinet me
prælian[tes] prælium Domini protuen-
da li-

da libertate, quæ melior, & amabilior est super vitas. Et digni eritis, qui accipiatis nomen nouum in amplissimo regno meo, quod nemo scit, nisi qui accipit. Vbi cum libera matre vestra, quæ sursum est cantabitis in æternum dulcissimas misericordias meas.

CAP. XVII.

Ostendit paucos saluos fieri, plurimosq^z damnari.

ARcta est via, quæ dicit ad vitam, & pauci inueniunt eā, & si enim omnes illam inuenire possint, se ipsos tamen nimis amantes, spatiösam viam perditionis eligunt, nouissima sua considerare nolentes. Beati pauci illi, qui toto corde me requirunt, & breui angustia æternam consolacionem operantur. Tristitia illorum vertetur in gaudium, quod non auferetur ab eis. Væ tamen illis, quorum numerus est, sicut arena, quæ iacet in littore maris, qui timore tentationum, & difficultatum victi, per latam viam gradiuntur, neque conantur in eo numero paucorum fortius censi.